



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob
Ingolstadii, 1611

De Confirmatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

uiniana) eius signum in baptizando usq; retinendum censue-
rit, secuta nimirum ea in re Primitiua & Apostolica Eccle-
sias, atq; hunc characterem pro licita externa ceremonia repu-
tans & symbolo honorifico, per quod infans illius obsequio, qui
Crucis mortem subiit, in perpetuum votus esset & mancipatus:
id quod ex verbis in libro publicæ Liturgiæ expressis facillimè
potest perspicere. Hæc & alia multa in laudem sanctæ Crucis
Caluiniani Angli cōtra Beza & similium Calvinistarum
calumnias decantant: de quibus itidem actum est in Pa-
negyrico Misenico & Tom. 1. de S. Cruce lib. 4.

DE CONFIRMATIONE.

QUÆRITVR I. Vtrum confirmatio sit sacra-
mentum. Respondet Lutherus in captiuita-
te Babylonica, cap. de Confirmatione, se non
damnaŕe septem sacramenta, sed tantum in-
ficias ire, septenarium hunc numerum ex sacris litteris proba-
ri posse. Non ergo negauit Lutherus confirmationem es-
se sacramentum; sed hoc solummodo, eam ex scripturis
probari posse. Et quod de confirmatione diximus, id iti-
dem de Ordine, Extrema vnctione, & Matrimonio in-
telligi debet; quandoquidem & hæc in septenario illo
sacramentorum numero comprehenduntur.

Quæritur II. Num Lutherus in Captiuitate sua seriò
hæc scripserit. Respondetur, negatiue, quia in disputa-
tione contra Louanienses ita scribit Lutherus Tom. 2.
Lat. Witeb. Confirmationem esse sacramentum, sine verbo af-
feritur. Et sentina Louaniensium mentitur à Christo esse insti-
tutam. Et eadem est sententia omnium Nouatorum hu-
ius ætatis.

Quæ

Quæritur III. Quid Calviniani Angli de Confirmatione sentiant. Respōdeo, hoc intelligi ex Decreto conciliabuli Londinēsis, anno 1603 celebrati; cuius sanctio LX. est ista: *Cum solennis, antiqua & laudabilis in Ecclesia Dei consuetudo fuerit, ab ipsis vsq; Apostolorum temporibus obseruata, ut Episcopi quique paruulis Baptizatis, & in Catechismo Christiana religionis instructis manus imponentes, super illis orarent ac benedicerent (quod vulgo Confirmationem nominamus:) cumq; in triennali Episcoporum visitatione mos sanctissimi istius operis peragendi in Ecclesia per multas atates obtinuerit: volumus & ordinamus, ut quilibet Episcopus vel eius Suffraganeus in consueta visitatione sua morem & ritum illum in propria persona diligenter obseruet: quod si tertio demum anno aliqua infirmitate impeditus visitationem suam personaliter obire nequeat, at saltem illud Confirmationis munus proximo anno (prout commodè poterit) nequaquam omittet. Hæc Angli Calviniani. Ex quorum oratione, si quis solummodo verba intueatur, coniecere posses, eos admodum honorificè & magnificè de Confirmatione sentire. Sed logos vendunt; non enim pro sacramento habent; sed, ut in aliis plerisque, ita & in confirmatione, simiarum instar, Catholicos imitantur, & quia veritatem respuerunt; saltem veritatis vmbra retinere conati sunt.*

